



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA ZOMBAËNSIS

**(FORTJOHNSTONENSIS)\*** DETRACTIS QUIBUSDAM TERRITORIIS A DIOECESI ZOMBAËNSI,  
NOVA CONDITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA,

NOMINE «FORTJOHNSTONENSIS». Quam studiose, sic ut Nostrum postulat Apostolicum munus, contendamus ut aspectabilis hic in terris Ecclesiae fines magis in dies prolatentur, ex eo etiam apparet toties Nos novas constituere ecclesiasticas circumscriptiones quoties id requirat animorum utilitas supernaque eorumdem salus. Sententiae ideo Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide accedi posse visum est, quae, post auditum venerabilem Fratrem Alfredum Poledrini, Archiepiscopum titulo Vazaritanum et in Malawi Pro-Nuntium, atque sacrum cuius intererat Ordinarium, proposuit ut novam, dioecesi Zombaënsi partita, praefecturam apostolicam in Malawiensi regione conderemus. Suprema ideo Nostra potestate, a dioecesi Zombaënsi districtum civilem vulgo FortJohnston et maiorem partem districtus civilis vulgo Kasupe separamus iisque praefecturam apostolicam constituimus, *FortJohnstonensem* appellandam. Fines autem inter dioecesim Zombaënsensem et conditam praefecturam hi erunt: flumen vulgo Shirè usque ad ostium torrentis vulgo Likwenu, hinc idem torrens Likwenu usque ad colles vulgo Chikala Hill per latitudinem 15° 10 usque ad fines civiles inter Mocambique et Malawi. Mandamus vero ut hae Litterae Nostrae ad effectum adducat venerabilis Frater Alfredus Poledrini, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos; utque ille qui negotium perfecit congrua documenta exaranda studeat ad Sacramque Congregationem pro Gentium Evangelizatione quam primum mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Ioannes Calleri, *Protonot. Apost.*

Iosephus Del Ton, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 12, pp. 705-706 © Copyright 1969 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana